



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput LXI. De quodam gaudio miraculo, quod accidit Priori supradicto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

Erat enim quidam Sacellanus in *Volkmaria* Diæcesis Moguntiensis nomine *Rolandus*, qui nescio quo spiritu ductus Sorores supradictas in oppido dicto verbis detractorijs multum molestavit: quod dum aliquantulum propter majus prædictarum Sororum meritum protelatum fuit, & pius Dominus dictæ detractioni finem imponere volens, & malitiam Sacellani refrænare, contigit quadam vice eundem Sacellanum stare in Ambone, ut populo prædicaret, & quia in eadem prædicatione præfatas Sorores confundere intendebat, proterva voce eas specialiter nominans ad populum loquebatur in hæc verba: *Cavete vobis ab his, qui ad vos veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, & quales dictæ Sorores in vita fuerint, post septem dies immediatè sequentes vobis in sermone meo faciam manifestum.* Quibus verbis à se prolatis mutus, & elinguis factus est in ambone, & loqui nesciens enim maxima confusione à sermone abstinens descendit, & abivit: sicque judicio DEI factum est, ut qui alijs injustam confusionem inferre laboravit, ipsi justissimè confusionem maximam Dominus DEUS coram omni populo immisit. Etiam quia ejusdem Sacellani peccatum, quod in supradictas Sorores commiserat, forsan nondum ad perfectum per prædictam confusionem purgatum fuit, accidit ergo, quòd post eandem suam confusionem demeritis ipsius exigentibus captus, & incarceratus fuerit, nec inde emissus, nisi per supplicationes, revocationes, & sponfiones suorum amicorum. Prædictum horribile factum omnes hi advertant, qui Religiosis aut devotis Personis detrahare non verentur, & ne supradictam confusionem aut etiam majorem sustinere cogantur, præmemoratis Personis nequaquam sint molesti.

C A P U T L X I.

*De quodam gaudiofò miraculo, quòd accidit Priori
supradicto.*

AUdiatur adhuc aliud fati mirabile factum, quod Dominus DEUS operatus est circa Priorem supradictum; quodam namque tempore idem Prior devotam Sororum Congregationem in oppido *Lippiensi*, cujus ipse & ejus successores (quemadmodum

modum & domus devotæ Congregationis, dum adhuc incolertur, in *Volkmaria* Visitatores & Rectores fuerunt, & adhuc sunt) visitavit. Et ecce propter Divinum opus perficiendum in eodem loco ibidem idem Prior pestilentiali tempore aposthemate percutitur, & ita quidem, ut lecto decumbens graves infirmitatis molestias sustineret. At ille Venerabilis Prior, cujus in omni necessitate ad Dominum DEUM securum semper refugium erat, ibidem celeriter pro sua sanitate recipienda exoravit. Insuper & devotis Sororibus ejusdem Congregationis pro ejusdem sanitate recipienda preces imposuit persolvendas, similiter & ipsis imposuit, ut pro ejus sanitate reciperent disciplinam: quibus omnibus jam peractis aposthema Venerabilis Prioris rumpebatur, surrexitque sanus laudans DEUM de sanitate nunc recepta.

C A P U T L X I I .

De miraculo satis horrendo.

Audiatur nunc Miraculum satis horrendum. Erat quidam militaris Diæcesis Colonienſis, qui Monasterium B. MEINULPHI aliquibus vaccis suis spoliavit, Fratres verò prædicti Monasterij spoliū præfatum inſequentes, ut ablatas vaccas reſtitueret, enixè petierunt, ſed raptor eorum petitioni minimè acquieſcens, poſt modicum temporis ſpatium ſupradictas vaccas mactari feſtinavit, quibus interfectis, dum per incifionem pro eiſcendis inteſtinis aperirentur, ex earum corporibus vituli tanquam nulli uſui apti in terram foras eiſciebantur; Et ecce! ſurgentes veloci curſu projecti vituli hinc inde contra naturæ ſtatum diſcurrerunt, vitulorumque mugitus dare non ceſſarunt: nec ſuffecit hoc miraculum, niſi & majus ſequeretur, nam lotio, qua carnes earundem vaccarum purgatæ erant, foſſis, quibus Caſtrum prædicti militaris munitum erat, cùm inſlueret, aquam, quæ in foſſis continebatur, in ſpeciem coagulati ſanguinis permutavit, familiares, amici & cognati foſſas Caſtri undique plenas ſanguine proſpicientes horrore percuſſi Dominum Caſtri, ſcilicet vaccarum ſpoliatorem, acedentes horrendum illud,